

138
MICHAEL MAUROCENUS
D U X L X.

*Electus die x. Iunii 1382. Obiit eodem Anno 1382.
die xv. Octobris, cum sedisset Menses iv. dies v.*

I V D I C I V M P V B L I C V M.

Pauca damus Patriæ, festinà morte repressi.

LXI



Enètæ Vrbi incubante Ligure, occupatà jam Clodià; Neapoli subsistebat Michael Maurocenus pronepos Marini Mauroceni olim Venetiarum Ducis, ubi congregatà divitiarum copià supra privatam sortem, charus omnibus vitam ducens, dulcis patriæ audito discrimine, vasa illicò collegit, malens cum cæteris occumbere pro aris & focis; quàm solus à longe, in pace & otio, funera spectare Reipublicæ. Amicis itaque dissuadentibus, restitutus in patriam, gazam suam prædivitem obtulit, quà auro plus pugnavit in hostem, quàm cæteri ferro. Hinc à gratissimà Patrià Procurator dictus D. Marci, & brevi Dux assumptus competitorum habuit Leonardum Dandulum meritis, & ætate confectum.